

Est etiam sic intellectus bonus : Qui plurimum habet, et si non donat, non abundat; quia quantumvis acquirat, eget semper, qui plus concupiscit: et qui exiguum habet, non minuit; quia non multum est quod pauperem pascit.¹⁾ Similiter ergo et ille pauper, qui confert spiritalia pro pecuniariis, etsi plurimum habeat gratiæ, non abundat; non enim onerat gratia, sed allevat mentem. Sed etiam sic potest intelligi: Non abundas, o homo. Quantum est enim quod accepisti, etsi tibi multum est? Joannes, quo nemo major est inter natos mulierum, inferior tamen erat eo, qui minor est in regno coelorum. Potest et sic intelligi: Non abundat Dei gratia corporaliter, quia spiritalis est. Quis potest ejus aut magnitudinem aut latitudinem comprehendere, quam non videt? Fides si fuerit sicut granum sinapis, montes transferre potest, et non tibi datur ultra granum sinapis. Si abundet in te gratia, non²⁾ est verendum ne mens tua tanto munere incipiat extolli; quia multi sunt, qui ab altitudine cordis sui gravius corruerunt, quam si nullam habuissent Domini gratiam? Et qui parum habet, non minuit; quia non est corporeum ut dividatur: et quod parum videtur habenti, plurimum est cui nihil deest. Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptius. Tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem: et maxime si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit. Sed forte dicat aliquis: Cæcus uno loco sedet et præteritur, et juvenis validus frequenter accipit. Et verum est; quia obrepat per importunitatem. Non est illud judicii, sed tædii. Nam et Dominus ait in Evangelio de eo, qui jam clauserat ostium suum, si quis ostium ejus procacius pulset, quia surgit et dat illi propter importunitatem.²⁾

1) Luc. 7. 2) Luc. 11.